

1. B. 1. 8. f. 2.

28

MONOTRIADE FAVENTE!  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO  
DOMINO  
JOHANNE GUILIELMO  
Duce Saxon. Jul. Cliv. Mont. Angr.  
& Westphal. &c. &c.  
IN ILLUSTRI SALANA  
DISPUTATIONEM JURIDICAM  
*De*  
PRÆROGATIVA  
CAUTIONIS.

Indultu Incliti JCTorum Ordinis  
SUB PRÆSIDIO  
DOMINI  
CHRISTOPHORI WERTHERI  
Mühlspferts/ J.U.D.

Illustrisque Regiminis Jenens. Advoc.  
Domini Patroni ac Preceptoris etatem colendi,  
IN AUDITORIO JCTORUM.

Ad diem Martii Anno M. DC. XC.

Ventilationi publicæ exponet

JOACHIMUS ERNESTUS MARTINI,  
Servesa-Anhaltinus.

JENÆ, Literis GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

Diss. jur. civ.

74,34

MONOPTOAE FAVENTI  
EGOTAE MAGNITICENTISSIMO  
PRINCIPALIA DORVANO  
DOMINO  
OMNIBUS TUTIORIS  
**PATRIÆ**  
ET  
**PATRONIS.**

AVIADOREM  
CAUDAM  
CINIS  
CHRISTIANERI  
CIVILIS  
Exercitium hoc Juridicum  
cum devoto observantie cultu  
consecrat

AUTOR.



## I. N. D. N. I. C.

### THEISIS I.



Autio in genere considerata dici potest satisfactio, per quam creditorum adversariumve securum reddimus. Generis vices *satisfactio* sustinet, cum latius, quam cautio significationem extendat, & ad solutionem prorogetur *l. 176. ff. d. V. S.* cum nemo magis satisfaciat, quam qui solvit; alias tamen solutioni in specie ita dictæ, quæ naturalem rei debitæ præstationem denotat *l. pen. ff. d. solut.* opponitur, & modos aliquos solum solvendi, ut acceptilationem v. g. complectitur *l. 49. in fin. ff. d. solut.* ubi Gothofr. ut & cautionem *l. 4. §. 3. verb. fieri enim posse ff. d. rejud.* Differunt itaque cautio & satisfactio tanquam species & genus, ut enim per satisfactionem quoquo modo implemus adversarii desiderium, ita per illam securitate. Hinc cautionis species, satisdatio scil. eodem modo, quo satisfactione appellata est *l. 1. ff. qui satisd. cog. ubi Gothofr. à connexis hoc argumentum deductum afferit.*

### THEISIS II.

Dividitur cautio in satisdationem, pignoris constitutionem & repromissionem *l. 4. §. 8. ff. de fidic. libert. l. 1. §. 9. ff. d. coll. bon. l. 188. §. 1. d. V. S.* Sa-

A

tisda-

714501

tisatio est cautio, quæ sit datis fidejussoribus l. i. ff.  
qui satisd. cog. l. 7. ff. d. prot. stip. Sane satisdationem  
à cautione pignoratitia diversam esse, sufficienter  
inter hanc & illam reperta oppositio in l. 4. §. 8. ff. d. fi-  
deic. libert. indicat. Idem Ulpianus, dum in l. i. §. 9.  
d. collat. expresse ex Pomponio respondit: de confe-  
rendo caveri per satisdationem oportere; pergit,  
an pignoribus caveri possit, videamus? Quod du-  
bium tanto Jcto haud dignum fore, si satisdatio pī-  
gnoratitiam cautionem complecteretur. Porro  
reppromissionem distinctam cautionis speciem esse,  
taxiore non eget deductione, cum nec sciam, un-  
quam de eo quenquam dubitasse, vel inficiari potuis-  
se propter §. 2. & 3. Inst. d. satisd. junct. rubr. ff. qui sa-  
tisd. cog.

### THESIS III.

Causa ob quam cautio præstanda, latissima est,  
& tam in judiciali, ne judicia eludantur per alterum  
litigantium inopem, fugientem, aut alias frustran-  
tem Zœl. ad Cod. d. satisd. quam extrajudiciali locum  
invenit, adeò ut causa criminalis ne quidem certo  
modo excludatur, vid. Hering. d. fidejuss. c. 10. n. 335.  
& seqq. & in Judicis arbitrio consistat, quæ sit justa  
causa, propter quam quis cautionem præstare tenea-  
tur, Hering. c. 5. n. 2. & regulariter quæ causa reddi  
potest securior, ea etiam admittit cautionem, cuius  
effectus formalis est securitas. Dixi regulariter,  
nam dari causam non omnino certam, quæ tamen  
cautionem non admittat, non repugno. Ecce! fi-  
dejussorem dotis conservandæ causa à marito acci-  
pere mulieri non permittitur, adeò ut acceptus, tan-  
quam contra legum decreta intercedens, non cen-  
seatur

seatur obligari. Si enim credendam mulier sese su-  
amque dotem existimavit, quare fidejussor vel alius  
intercessor exigitur, ut causa perfidiae in connubio  
eorum generetur ? l. i. l. 2. C. ne fidej. dot. dent. Quam  
prohibitionem non solum ad maritum invitum, sed  
& volentem, imo ad inopiam vergentem, ob gene-  
ralitatem dictae rubricæ prohibitoriae, citatarum  
constitutionum gravitatem, earumque rationum  
perpetuitatem extendunt, vid. Gœdd. d. contr. &  
comm. slip. c. 6. n. 369.

#### THEISIS IV.

Cautionis materia, circa quam illa occupatur,  
longè latèque diffusa est. Interim tamen non quæ-  
libet cautionis species singulis causis applicari pote-  
rit, sed pro harum diversitate cautio dissimiliter præ-  
tenditur, imo eadem causa pro diversa carentium  
qualitate, diversum cautionis genus exigit. Quod  
ipsum cautio judicio sisti illustrat, quæ non aliter,  
quam satisdatione, i. e. datis fidejussoribus expedi-  
tur l. i. ff. qui satisd. cog. Ludw. ad Wesemb. tit. qui sa-  
tisd. cog. verb. anpignoribus. Hahn, ad Wesemb. n. 4.

#### THEISIS V.

Hanc cautionem judicio sisti nihilominus qui-  
dam juratò promittunt (1.) ob dignitatem, quoties e-  
nim ex privatâ cuiuslibet interpellatione, civili vel  
criminali, viri illustres conveniendi sunt, nulla dan-  
dæ fidejussionis concussione vexentur, sed per spe-  
ciale privilegium suæ committi fidei consequantur,  
juratoria tantummodo cautione ab his exponenda l.  
17. C. d. dign. & hoc siue fidejussores habere possint, si-  
ve non, Fransk. comm. ad ff. tit. qui satisd. cog. num. 42.

A 2

conf.

conf. Hopp. *de jur. art. pag. 100.* quia contumeliam  
quandam subire creditur is, qui fatisfare cogitur, si  
sit vir præcipuæ existimationis & honestatis l. 17. §.  
ult. d. test. tut. Fab. *Cod. d. satisd. def. 1. n. 4.* sed hoc ho-  
diè non observari refert Treutl. *Disput. 5. th. 2. lit. b.*  
quem tamen explicat Bachov. ibid. (2.) *Ob necessita-  
tem*, ut pauperes, si fidejussorem dare non valent,  
juratoriam exponant cautionem arg. auth. generaliter  
*C. d. Episc. & Cler. Nov. 112. c. 2.* Difert hæc juratoria  
ab illâ, quæ à Viris illustribus præstatur, quod non  
aliter obtineat, quam si fidejussores invenire non  
potuerint, d. Non. Ratio verò, cur hæc admittatur,  
est, quod intersit ipsius actoris, hoc casu juratoriam  
cautionem admitti, ne alias per difficultatem inve-  
niendi fidejussores differantur judicia, & paupertas  
debitoris obstet agenti, quo minus jus suum mature  
consequatur Hunn. *ad Treutl. Vol. I. Disp. 5. tb. 2. lit. A.*  
vel quia juratoria cautio affinis est fidejussioni, dum  
sæpiissimè ejus vicem sustinet Hering. *d. fidejuss. c. 18.*  
*n. 88.* quod in pauperibus obtinet, etiam si statutum,  
exigat fidejussores, cum non magis statutum, quam  
lex obligare ad impossibile debeat, contra *c. pen. de  
don. int. vir. & ux. Cothm. resp. 18. n. 484. & seq.*

## THEISIS VI.

Immobilium verò possessores suæ promisio-  
ni relinquuntur & fatisfare non compelluntur l.  
*pen. pr. ff. qui satisd. cog.* hoc ideo, quia pro prædiis  
sufficiunt prædia, in quorum possessionem mittatur  
creditor, si reus in jus vocationem spernat l. 19. §. 1. ff.  
*de Jud. Hunn. d. loc. lit. C.* & ita in his cesset suspicio  
fugæ & metus latitationis Fransk. *ad ff. tit. qui satisd.*  
*cog.*

cog. n. 39. Bach. ad Treutl. Disp. 5. th. 2. lit. C. Hos pos-  
sessores immobilium quidam ad eos, qui juratò  
promittunt, referunt, & leg. 8. C. d. Princ. ag. in reb.  
juratoriam cautionem disertissimè requirere afferit  
Fransk. comm. ad ff. qui satisd. cog. n. 41. Voët. verò  
ad §. 2. Inst. d. satisd. motus d. l. 8. C. d. Princ. ag. in reb.  
judicat Bachovium hallucinari, qui censet, immo-  
bilium possessores tantùm re promittere, idque pro-  
bare conatur l. 15. ff. qui satisd. cog. eò quod l. 15. ff. qui sa-  
tisd. cog. quâ innititur Bachovius, possit dici per d. l. 8.  
C. mutata, vel nihil in adversum ex d. l. 15. elici, ubi à  
satisfactione liberantur immobilium possessores,  
non autem propterea à cautione juratoriâ, cum non  
sequatur: non satisdant, ergò non juratò cavent, ali-  
ter nec Viri illustres aliique juratoriam cautionem  
præstarent, quod satisdare non cogantur. Sed jura-  
menti præstatione rerum immobilium possessores  
non gravari, verosimilius est per rubr. & l. 15. pr. ff. qui  
satisd. cog. ubi qui suæ promissioni committuntur di-  
rectò iis, qui juratò promittunt, opponuntur & in  
toto titulo non occurruunt alii, quam rerum immo-  
bilium possessores.

## THESIS VII.

Legem 8. C. d. Princ. agent. in reb. quâ & Fransk.  
& Paul. Voët. nituntur resolvit Hahn. ad Wesemb. tit.  
qui satisd. cog. in fine, inquiens: Lex finalis commodè  
accipitur in sensu diviso (ut singula singulis respondeant) i-  
ta ut Princip. agentium in rebus, licet bona habeant in fa-  
cramentis substantia bonorum credantur, b.e. si immobilia  
possident, relevetur propter bonorum substantiam ab one-  
re satisdandi: Si verò non, demum ad juratoriam cau-  
tionem

*tionem admittantur.* Sed vereor, ut hæc expositio  
textui conveniat; non enim dicitur, quod Principi-  
bus agentium in rebus liceat aut jurato, aut nudâ  
promissione cavere, verum quod Principes haben-  
tes bona immobilia, in urbe vel in Provinciis, adju-  
ratoriæ cautioni & substantiæ suæ credantur. Adeo-  
que rectius satis fit oppositioni, dicendo: Viros il-  
lustres, utut possessores immobilium, teneri simul  
ad cautionem juratoriam, ut se liberent à concusso-  
nibus & vexationibus in præbendis fidejussoribus,  
quod etiam Biccius in Colleg. arg. enuct. tit. qui satisd.  
cog. n. 4. perl. 26. §. 6. C. de Episc. aud. confirmat. Di-  
versitatis autem inter illustres & alios immobilium  
possessores ratio est; quod illi sint difficultioris con-  
ventionis Bus. ad l. 15. qui satisd. cog. n. 3.

### THEISIS VIII.

Cum nunc, uti ex di is | liquet, non solūm di-  
versa causa aliâ cautionis specie tutior reddatur, ve-  
rum insuper idem saepe negotium, ratione diverso-  
rum subiectorum ad cautionem præstandam devin-  
itorum aliam atque aliam securitatis speciem desi-  
deret, de prærogativâ cautionum disceptatio orta,  
quæ rectius erui non poterit, quam si diversorum  
opiniones & quibus fulciuntur rationibus separatim  
adferantur.

### THEISIS IX.

Pro prærogativâ cautionis fidejussoriæ pu-  
gnat *facilitas* *conveniendi*, facilius autem tunc à fide-  
jussoribus exigipotuit debitum, quoniam illi ante  
principalem rectè fuerint compellati. l. 3. & t. t. C. d. fi-  
dejuss. quam à pignoribus, quæ non semper emtorem  
inve-

invenerint, & nisi variâ circumductione distrahi non  
valuerint Joh. Köppen. obs. 83. n. 8. & 9. Præterea  
pignora interire possunt, eorumque custodia mole-  
sta & periculosa Ayrer. proc. p. i. c. 10. n. 7. maximè Jur.  
Sax. quo creditor probando casum, quod res oppi-  
gnorata absque creditoris culpa perierit, liberatur  
quidem à restitutione rei vel ejus aestimatione, nihil-  
ominus autem pecuniam creditam & ejus repetitio-  
nem amittere debet. Col Decis. 7. n. 29. Adhæc se-  
curior, qui duos habet debitores: Nam pignorum  
datio novum debitorem parere nequit, fidejussoria  
autem cautio obligationem pignorum gignere pot-  
est, cum bona pignori capiuntur in executione ju-  
dicati. Hill. D. E. lib. 23. c. 9. lit. O. Tum quod ex pi-  
gnoris contractu creditor de custodia & diligentia  
obligetur §. ult. Inst. quib. mod. re contr. oblig. Harprecht  
ad pr. Inst. d. satisd. tut. n. 9. & 10. Gœdd. de contr. &  
comm. stip. c. 5. concl. 21. n. 299. Porro pro hâc senten-  
tiâ facit l. 7. ff. d. præt. stip. ex quâ legâ Eichelius ad l.  
25. ff. d. R. J. format hocce argumentum: *Qui mo-  
dus cavendi ab ipso Prætore pro optimo habetur, quo iis ca-  
vet, quibus maximè cautum esse debet, nempe pupillis, illis  
imperfecti judicii hominibus, adeoque deceptu facilibus, is  
erit omnium optimus: Ast fidejussio à Prætore eligitur;*  
*Ergo.*

## THESES X.

Huic sententiæ minus obstare arbitrantur,,  
quod l. 25. ff. d. R. J. §. 14. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. l.  
i. §. 1. ff. d. superfic. traditur; plus cautionis in re esse,  
quam in persona, & melius esse pignori incumbere,  
quam in personam agere. Etenim regulam illam  
locum habere, quoties convenit de pignore dando  
& ali-

& aliis quibusdam casibus Gœdd. *dict. loc.* vel re gu-  
lam tūm obtinere , si quis pignori incumbat & ejus  
naturalem possessionem penes se habeat Umm. *in*  
*proc. disp. 9. tb. 1.* vel etiam plus cautionis esse in re ,  
quām in persona debitoris , non verò , quām in per-  
sona fidejussoris. Lectionem autem florentinam  
meliorem esse , quām vulgarem , quæ talis est : plus  
cautionis in rem est , quām in personam , afferit  
Guil. Dyemen. *ad l. 25. ff. d. R. 7.* qui quoque nescit ,  
quid Accursio in mentem venerit , ut cautionem  
hic pro satisdatione accipiendam esse scriplerit , cum  
satisdatò cavere sit datis fidejussoribus cavere , non  
pignoribus *l. 1. ff. qui satisd. cog.* atqui hæc regula evi-  
denter scripta sit de cautione , quæ re fit , h. e. pi-  
gnore constituto. Nec juvare Accursium loca ab  
Eo prolatæ , quæ expressè de satisdationis cautione  
loquuntur.

## THESES XI.

Jacobus Gothofredus *d. l. 25. ff. d. R. 7.* ait esse  
de possessionis commodo & hujus possessori commo-  
di fidem cerni & in delictis *l. cumpar 154. in fin. ff.*  
*d. R. 7.* & in civilibus , idq; partim in damno vitando *l. se*  
*servum 91. § 3. ff. de V.O.* partim in lucro *l. 33. 126. § 2. in fin.*  
*128. pr. ff. d. R. 7.* In civilibus , ut judicialibus , dum pos-  
sessores rerum immobilium à cautione judicio fisti ,  
liberantur *l. 15. ff. qui satisd. cog.* In restitutionibus quo-  
que in integrum per *l. 40. ff. d. minor.* & multis aliis ibi-  
dem à Gothofredo enumeratis , unde infert , non  
debuisse ideo interpres hic sese eò diffundere ,  
quando fidejussoria cautio , quando pignoratitia re-  
quiratur ? Item , utrum obligatus fidejussorem da-  
re , possit pignora dare ? Item , utrum cautionis ver-  
bo ,

bo, illâque formulâ: recte vel idonee caveri pigno-  
ratitia, an fidejussoria cautio indicetur, de quo sunt  
l. 7. ff. d. prat. stip. l. 1. §. 9. ff. d. coll. l. 59. in fin. ff. mand. l.  
4. §. 8. ff. de fideic. libert. l. 3. C. d. V. S. l. 7. C. d. fidejuss.  
cum cautionis verbo in hâc regulâ non accipienda  
sit speciatim securitas ασφάλεια, quæ creditori da-  
tur, eumque securum reddit; verùm securitas o-  
mnis, quæ ex possessione percipitur, omne com-  
modum & emolumentum, momentum, pondus,  
quomodo commodum possessionis dicitur §. 4. Inst.  
d. Interd. Quâ ratione lex: plus cautionis in re est,  
quam in personâ, fidejussoriæ cautioni minimè ob-  
staret: sicuti nec lex 21. ff. d. constit. pec. ubi legen-  
dum, satisfacturum, ut sub juncta ratio ostendit, quan-  
quam, si vulgaris locutio retinenda sit, non ineptè  
omnino dici possit, ideo ibidem satisfactionem pi-  
gnoribus quoque impleri, quia id inter contrahen-  
tes actum videatur, agitur enim ibi de constitutâ pe-  
cuniâ, ut neutiquam absurdum sit, si satisdaturum  
constituentem non teneri respondemus, sive fide-  
juslores, sive pignora dederit Umm. sup. d. loc. Nam  
& res una pro aliâ ut ex conventione partium solvi, i-  
ta & constitui potest Bus. ad l. 5. ff. d. const. pec.

### THESES XII.

Porrò l. fin. §. 3. ff. quod legat. non majorem vi-  
detur sententiae vim inferre, cum lectio ejusdem  
quoque dubia sit; nam Florentini libri legunt noluit,  
vulgati autem voluit, quæ lectio posterior magis pro-  
banda, quia congruit cum reliquis textibus juris, &  
melius etiam vers. idem dicendum est, cum iis, quæ pro-  
xime præcesserunt, cohæret. Dixerat enim Pau-  
lus

B

10212

lus J<sup>C</sup>tus, si legatarius nuda reprimissione retentus fuit, dandum esse interdictum, perinde, ac si satisfactione praestita fuisset; quia volenti & consentienti, cui satisdandum erat, repromittendo etiam cavere licet l. 6. §. 1. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. 2. §. 3. ff. d. pign. act. Subjicit deinde Paulus, idem dicendum esse, nempe quod interdictum dari debeat, si legatarius pignoribus voluit sibi caveri, eadem prorsus ratione, quod volenti & consentienti non fiat injuria. ... Nec adversatur, quod lectionis Florentinæ magna sit autoritas, & propterea ab eâ non debeamus facile recedere; quia hoc procedit, si ex vulgaris lectione absurdum quiddam, vel durum, vel inconveniens, vel irrationaliter prodeat. Ubi verò nulla absurditas, nulla lectionum contrarietas & pugna, quæ discordiam sententiarum gignat, nulla iniurias, adeò studiosè inhærere non est opus, quin potius à Florentinâ lectione quandoque recedere melius & æquius. Gædd. ad rubr. d. V. S. n. 31. Deinde asserunt satisdationem sive cautionem, quæ alias fidejussoribus fieri deberet, posse fieri per pignora, quia de quantitate rei legatæ constat. Imo interdum non attento eo, cuius nomine cautio fidejussoria imponitur, certum sit sive incertum, cautioni per fidejussores locusesse non posset. In l. ult. C. ne fidej. vel mand. dor. dent. cautio fidejussoria nomine dotis non exigitur, si enim, ut supra, jam traditum, credendam mulier sese suamque dotem existimavit, quare fidejussor vel aliis intercessor exigitur, ut causa perfidiæ in connubio eorum generetur. Ut tamen cunque cautio per fidejussores non exigatur, cautioni per pignora potest esse locus.

locus arg. l. 7. §. 6. ff. d. don. int. vir. & ux. ubi si uxor à marito suo prædia, quæ ob dotem pignori accep- perat, emerit, eaque emitio donationis causa facta dicatur, nullius est momenti, pignoris tamen obli- gationem durare Imperator cum Patre suo rescri- psit. Brandm. ad pr. Inst. d. satisd.

### THEISIS XIII.

Cum nunc in medium prolata, quæ potissimum securitatem, quæ datis fit fidejussoribus, efferuntur, nunc quoque brevibus & ea, quæ pro cautionis pi- gnoratitiæ dignitate faciunt, consideranda sunt, sci- licet quod plus cautionis sit in re, quam in personâ l. 25. ff. d. R. J. §. 14. Inst. d. oblig. quæ ex del. nasc. juxta illud Martialis:

*Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo,  
inquis.*

*Idem, si promeſpondet agellus, habes.*

*Quod mihi non credis veteri, Theseline, ſodali  
Credis colliculis, arboribusque meis.*

Et plus cautionis esse in re, quam in personâ, si nimi- rum quis pignori incumbat, & ejus naturalem pos- sessionem penes se habeat, tradit alias dissentiens Umm. Diſp. 9. tb. 1. n. 3. sed hoc procedere, five pi- gnus traditum sit, five ejus possessio maneat penes debitorem, cum utroque caſu creditor securus sit, quoniam ei competit actio realis ad persequendum pignus aduersus quemcunque posſefforem l. 13. §. 3. ff. d. pign. referunt Gunz. ad l. 25. ff. d. R. J. & Wold. ad d. l. 25.

## THESES XIV.

Huc quoque referenda difficultas exactio*nis*, quæ & minuit pretium nominis venditi l. 6. ff. d. minor. l. 51. ff. d. pecul. Brunneman. add. l. 51. oriturque vel ex adversarii potentia, nam potentioribus pares esse non possumus l. 3. pr. ff. d. alien. jud. mut. caus. fact. vel litigandi pruritu, nam utile est consilium, quod devitat rixarum adversarium arg. l. 14. ff. pro soc. & verecunda quæ lites execratur cogitatio l. 4. §. 1. ff. d. alien. jud. mut. Vel etiam propter exceptionem adversario competentem, cum nihil intersit, ipso jure actionem non habere, an per exceptionem eam infirmari l. 112. ff. d. R. J. quæ exceptio inde nasci quoque potest, quod fidejussores interdum creditum abjurent Neldelius ad l. 25. ff. d. R. I. vel ex debentis egestate; nullam enim videtur habere actionem, cui propter inopiam adversarii inanis est actio l. 6 ff. d. dol. mal. Sicuti enim paupertas non est habitus permanens Menoch. l. 6. præsum. 25. n. II. ita nec divitiæ, & potest contingere, ut aliquis subitaneo & inopinato casu ad inopiam redigatur, juxta illud: *Quam subito Codrus, qui modò Cræsus erat.* Potest etiam malevolus fidejussor, adhuc solvendo existens, solum vertere & fugere, pignus autem subterfugere nequit, Manz. ad §. 14. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. vel ex sumtu in petendo quandoque infinito, quem exactio depositit, nam magnæ utilitatis lucrique censetur, litibus & sumtibus non vexari l. 6. ff. d. minor. Tabor. Disp. Wes. 5. tit. 8. quest. 9. vel ex litis prolixitate dubiog. eventu, fraudum enim occasio omni curâ est prævenienda arg. l. 9. C. d. SS. Eccl. Nec hic omittenda est mora temporis, quæ fidejussoribus indulgenda, Fab. ad l.

*ad l. 51. ff. d. pec.* Nec illud negligendum, quod non  
semper facile & obvium sit dare fidejusserem l. 7. pr.  
& §. 1. ff. qui satisd. cog. quia fidejussor locuples dici-  
tur, non tantum ex facultatibus, sed etiam ex con-  
veniendi facilitate l. 2. pr. ff. qui satisd. cog. sed & con-  
tumeliam quandam subire creditur is, qui satisdare  
cogitur, si sit vir præcipuæ existimationis & hone-  
statis l. 17. §. ult. ff. d. test. tut. Fab. Cod. d. satisd. def. 1. n.  
4. Imo pignus pro satisdatione quandoque esse, &  
sufficere pignus constitui v. g. si conductor prædiū  
rustici instrumenta censualia quasi pignoris loco ha-  
beat l. 13. §. offerri ff. d. act. emt. non teneri locatorem,  
ut pecuniam consequatur, fidejusserem dare, sive  
conventione, sive ipsius Judicis autoritate, cum &  
in pignore constituendo factum Judicis, sit factum  
partis l. 1. C. si in caus. jud. pign. capt. sit, si quidem pi-  
gnoris persecutio sanè difficilis plerumque est, quia  
probandum est, debitorem dominum fuisse rei obli-  
gatæ tempore pignoris constituti, aut saltim postea,  
si obligatio facta est bonorum præsentium & futuro-  
rum l. 15. §. quod dicitur ff. d. pign. sed retentio prom-  
ta & nullius dispendii est l. 33. ff. d. cond. ind. l. 3. ff. de  
compens. & huc spectare supra traditam regulam:  
plus cautionis in re est, quam in persona, juxta l. 25.  
ff. d. R. J. asserit Faber d. loc. def. 12. & sic qui pignus  
præstat, nihil imputari possit, cum plus præstet l. 15.  
ff. d. ann. leg.

## THESSA XV.

Amplius in pignore ideo major est securitas,  
quam in fidejussoribus, quia jus, quod in re consi-  
tit, quemcunque possessorem cum suo onere comi-  
tatur l. 2. C. d. hered. act. sicut & actiones in rem con-

tra possessorem exerceri possunt, licet res in mille manus pervenerit §. i. Inst. d. act. l. 25. ff. d. oblig. & act. cum actiones in personam inhæreant tantum personæ obligatæ l. ult. ff. d. contr. emt. d. l. 25. ff. d. O. & A. &, ut Bronch. ad l. 25. ff. d. R. J. afferit, quemadmodum character baptismi in anima: Et personam obligati sequuntur, ut lepra leprosum & umbra corpus comitatur. Indeque deducitur ulterius, quare lex Julia prohibeat marito alienationem rerum dotalium. Nam licet uxori adversus maritum, competit action ad dotis restitutionem, tamen quia plus cautionis in rem quam in personam, quæ facultibus ita labi potest, ut solvendo non sit, recte lege Juliæ alienatio rerum dotalium prohibita est marito pr. Inst. quib. alien. sic. vel non. Neld. ad l. 25. ff. d. R. J.

## THEISIS XVI.

Petrus Wesembecius ad l. 25. ff. d. R. J. pignoratiæ cautioni ideo primum locum tribuit, quod minus sit actionem habere, quam rem l. 204. ff. d. R. J. cum multa intervenire possint, ob quæ rem, ad quam actione nobis competit, consequi haud possimus. Hinc prudenter dicitur in l. 15. ff. d. R. J. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, h. e. fingitur ac existimatur ita, cum reverâ res ita se non habeat Eich. ad l. 25. ff. d. R. J. Inde Wesembecius porro intet: & si creditoribus consuli possit vel per chyrapbariam cautionem, vel per fidejussores, vel per juratoriam cautionem, vel per pignora, nulla tamen melior cautio

B 3

*cautio sit, quam quæ sit per pignora.* Extendit autem dignitatem pignorum ita, ut is, qui fidejussorem dare tenetur, dando pignora, liberetur, quod magis cautum sit per pignora, quam fidejussores. Non obstante eo, quod aliud pro alio solvi non possit invito creditori l. 2. §. 1. ff. d. reb. cred. ff. si cert. pet. cum hic non de solutione, sed de cautione agatur. Limitat vero regulam in prætoriis stipulationibus, quod Prætor non tantum securitatis causa satisfactionem exegerit, sed etiam ob facilitatem conveniendi l. 1. ff. qui satisd. cog. facilius autem olim à fidejussoribus debitum exigi potuit, quia ante excussum principalem debitorem convenire fidejussores licebat l. 3. & passim C. d. fidejuss. quam à pignoribus, quæ non semper emtorem inveniunt, nec nisi variâ circumductione distrahuntur i. e. ff. & C. d. dist. pign. Sed inde non inferendum, plus etiam eo casu cautionis esse in prætoriis stipulationibus, quam in pignore, adeoque non esse limitationem à regulâ 25. ff. d. R. P. censet Phil. Matth. ibid. Nam quod in l. 7. ff. d. præt. stip. pignora loco fidejussorum non accipiuntur, inde esse, quod facilis fidejussor conveniri, quam pignus distrahi possit. Ut ut vero etiam fidejussoribus idoneè caveatur l. 59. §. ult. ff. mand. tamen pignoratitiam cautionem fidejussoriæ in eo prostare, quod debitum certius servet.

## THEISIS XVII.

Giphanius de Reg. Jur. c. 14. præstantiam cautionis pignoratitiae ex l. 1. ff. d. superfic. evincere annitur, ubi dicitur è longè utile esse, quia melius est possidere potius, quam in personam experiri, interdib. bono

& tum

Etum proponere, & quasi in rem actionem polliceri,  
deinde per l. 55. ff. d. fidej.

### THEISIS XVIII.

Wolderus pariter l. 25. ff. d. R. 3. intelligit de  
securitate, & plus cautionis esse in pignore, quam  
in fidejussore, ratione jam tum traditis conformi,  
cum pignus vendendo statim quis rei familiaris suæ  
subsidiū habeat l. 1. C. si pign. dat. quam præstantiam  
pignoris sequentibus exprimit:

*Tutior est, pignus manibus qui detinet, illo  
Cui persona prius, convenienda venit.*

### THEISIS XIX.

Hippolitus à Collibus annectit aliam rationem,  
scilicet quod pignus pignori in subsidium dari possit  
l. 2. C. si pign. pign. l. 13. §. cum pignor. ff. d. pignor. Porro  
quod non solum rem, sed etiam personam obligatam  
habeamus §. 14. Inst. d. Oblig. quæ ex del. nasc.

### THEISIS XX.

Insigne porro videtur esse emolumentum pi-  
gnoris, quod in fidejussoribus non reperitur, reten-  
tio scilicet, quæ ex solâ pignoris obligatione oritur,  
eaque non solum ob idem illud debitum, cui pignus  
accessit, quod hypothecarium appellari solet, ve-  
rum etiam ob aliud, quod postea sub nudo chiro-  
grapho contractum, quamvis prius illud fuerit so-  
lutum, exerceri potest l. un. C. etiam ob chirogr. pec.  
pign. ten. ex ratione, quod improbè facere videatur  
debitor, quia sublato ære alieno, quod sub pignore  
debet, pignus repetit, differens solutionem ejus,  
quod

quod debet sine pignore , quasi demonstrans , se  
non soluturum , aut tardius aliud debitum *d.l. nn.*  
*Zœf. ibid.* Vel ideo quod creditor rem naturaliter  
& civiliter ad omnes causas , exceptâ usucupione  
possideat *l. i. §. 15. ff. de acquir. poss. junct. l. 16. ff. d. usuc.*  
quod ipsum tamen non sic accipiendum est , ut , eti-  
amsi de nullo pignore convenerit , liceat tamen cre-  
ditori , rem debitoris possidentis , eam veluti taciti  
pignoris jure retinere , sed ita , ut creditor , qui rem  
debitoris sibi vinculo pignoris obligatam tenet ,  
ejus retinendi jus habeat , etiam pro chirographa-  
ria pecunia , i.e. pro qua nullum alioqui pignus pos-  
sit obtendere . Cæterum qui de pignore nullo mo-  
do conyenit , non magis retinere rem debitoris  
pro pignore , quam agendo , eam persequi potest  
*arg. l. 3. ff. quæ respign. Naurath. ad Zœf. d. loc. adeoq;*  
retentio pignoris appellatur , non rei sine qualitate  
pignoratitiâ consideratæ .

### THESIS XXXI.

Diversa sane ratio est cautionis fidejussoriæ ;  
fidejussoris enim obligatio strictissima est , cum ex  
stipulatione solâ contrahatur *l. i. §. satis acceptio ff. de*  
*V.O.l.12.C. de Fidejuss.* ita ut in aliam aut duriorem cau-  
sam accip non possit fidejussor , in leviorem tamen  
posit *§ 5. Inst. d. Fidejuss.* sive causa fidejussoris durior  
fiat *re* , sive *tempore d. §. 5. sive causa l. 8. §. 8. ff. de Fidejuss.*  
sive denique *loco* , quia qui certo loco dari promisit ,  
aliquatenus duriori conditioni obligatur , quâm si  
purè interrogatus fuisset : Nullo enim loco alio ,  
quam in quem promisit , solvere invito stipulatori  
potest . Quare si reum purè interrogavero & fide-  
jussorem cum adjectione loci accepero , non obliga-  
bitur

C

bitur

bitur fidejussor l. 16. §. 1. ff. de Fidejuss. quia levior est  
eius obligatio, qui purè, quam qui certo loco dare  
promittit Gothofr. in not. ibid.

## THEISIS XXII.

Neq; ad evehendam fidejussoriā cautionem,  
& quod illa etiam ad alia in stipulationem non de-  
ducta extendi possit, quicquam facit l. 8. ff. d. eo quod  
cert. loc. dar. oport. ubi Africanus: centum Capuæ dari  
stipulatus fidejussorem accepisti, ea pecunia ab eo similiter,  
ut ab ipso promissore, peti debet, i. e. ut si alibi, quam  
Capuæ petantur, arbitraria agi debeat. Obligatio enim  
fidejussoris, quamvis stricta sit, nec nisi accessoria,  
nunquam tamen sic explicanda, ut inanis fiat, & non  
sortatur effectum, ne aliqui decipiatur creditor,  
qui fidejussorem accepit, & sine eo verosimiliter  
non fuisset contracturus. Sicuti enim absurdum  
esset, potestati debitoris tribuere, an debeat l. 2. §. 3.  
ff. d. eo quod cert. loc. ita æque inconveniens esset, ar-  
bitrio fidejussoris hoc relinquere, cum & ille debi-  
tor sit pr. Inst. d. fidejuss. Ideoque ferendum non est,  
eludi creditorem, si uterque debitor locum, ubi da-  
ri promissum, fugeret, sique ab illis, utrum debe-  
rent, dependeret. Neque etiam sufficit, princi-  
palem reum posse arbitrariâ actione conveniri, nam  
tum saltim fidejussio inanis & inutilis esset, ad evi-  
tandum itaque hocce absurdum, dicendum est, &  
fidejussorem arbitrariâ conveniri posse; & quia ex  
ipsius fidejussoris, non etiam ex rei persona, ejus  
quod fidejussoris intererit, Capuæ potius, quam  
alibi satisfacere, quamvis rei tortasse nihil intersit:  
d. l. 8 ff. de eo quod cert. loc. videri nō potest fidejussor aut  
in aliā aut in duriorum accept⁹, ob id solū, quod æq;  
con-

contra ipsum arbitraria exerceatur, cum debitor  
ea teneatur, eademque & necessitatis & æquitatis  
ratio vigeat contra utrumque, adeoque & adhuc  
meliorerit pignoris conditio.

### THEISIS XXIII.

Nec huic opinioni ulterius adversatur facilitas  
conveniendi, in fidejussoriâ cautione obveniens,  
quoniam conveniendi facilitas non statim securita-  
tem infert. Detur quoqne, pignora perire posse,  
& sit eorum custodia molesta & periculosa; nam fi-  
dejussores quoque facultatibus labi, imò plane au-  
fugere & solum vertere possunt. Neq; etiam Jur.  
Sax.amplius casus pignoris liberat debitoremCarpz.  
part.2. *Const. 26. def. 1. & 3.* Duo debitores quidem  
creditem securorem reddunt, quam debitor un<sup>9</sup>,  
sed non statim securorem, quam pignora. Adhæc  
falsum est, quod pignoris ratio debitorem non pa-  
riat *arg. §. fin. Inst. quib. mod. re contr. oblig.* Et utut  
non gigneret, inde tamen pignoris prærogativa  
non infirmaretur, sicuti nec hoc, quod debitor cu-  
stodiam & diligentiam præstare cogatur, probat,  
pignora propterea creditorem non reddere secu-  
riorem. In casu *l. 7. ff. d. præt. stip.* exigitur fidejusso-  
ria cautio ob incertitudinem rei, non ob majorem  
securitatem.

### THEISIS XXIV.

Sunt etiam inter Doctores quidam, qui faten-  
etur olim fidejussoriam cautionem pignoribus præ-  
stitisse per *l. 7. ff. d. præt. stip.* quod expeditior esset  
executio in fidejussore *l. 3. C. de fidejuss.* quam in pi-  
gnoribus, multâ circumductione vendendis *l. ult. C.*

C 2

d. jur.

*a. jur. domin. impet.* Ast cum fidejussores post principales conveniri cœperunt N<sup>o</sup>. 4. c. i. intercidisse istam potiorem cautionis fidejussoriæ conditionem, usque receptum esse, pignoribus & quæ ac fidejusforibus posse caveri Locam. *quest. Iust. 83. I. Köppen. Obs. 83 n. 8. & 9.* Sed in cautionibus prætoriis, quod Prætor non tantum securitatis causa satisfactionem exegerit, sed etiam ob facilitatem conveniendi l. i. ff. si quis in jus voc. facilius autem tunc à fidejussoribus exigi potuisset debitum, quod ante principalem conveniri potuerint l. 3. c. d. fidejuss. quam à pignoribus quæ non semper emtorem invenerint, sed hodie recte satisfactionem pignoribus fieri, ratione istâ, quâ antea prohibebatur, sublatâ.

### THEISIS XXV.

Interim nec jure novo pignoribus recte caveri admittunt in iis causis, in quibus omnia rei bona jam ante sunt tacitè obligata, ita ut actor nihilo plus ex cautione pignoratitiâ esset consecuturus, hinc in promtu sit ratio, quare tutor vel curator in vicem satisfactionis pignoribus fungi non possit Locam. *dict. loc. Manz. ad. pr. Inst. de fatisfd. tut. vel curat.* ideo satisfactionem exigi arbitratur, quod bona ipsorum vel non sufficere, vel multis variisque casibus perire possint.

### THEISIS XXVI.

Sed neque jure novissimo cautionem pignoratiam loco fidejussoriæ admitti alii rectius tenent, non obstante *autb. præsente C. d. fidejuss.* quod nimirum fidejussores demum excusio principali convenientur, adeoque cesset hodie facilitas conveniendi, cum

di, cum illa non sit vera causa, quare requirantur fidejussores, sed quod cautiones, ubi fidejussores requiruntur, ut plurimum super eo, quod interest, interponantur, indeq; pignora non sufficiant, quia quæ ac qualia deponenda sint, sciri nequeat Hahn, *ad Wef. n. 4.* & quod securius sit duos ejusdem rei habere debitores. Ludw. *ad Wef. tit. qui satisd. cog. verb. an pignoribus.* Ut ut etiam facilitas conveniendi cesset, commodum satisfactionis tamen propter beneficium excussionis non quiesceret, cum & pignorum venditio saepe per multas fiat ambages *l. 3 C. d. jur. dora. imp.* Idcirco fidejussores habere præstet Bach. *ad Treutl. Disp. 5. tb. 2. l. 4.* & non attentè satis Doctores inde fidejussoriam cautionem abnegasse, quod hodie fidejussores non nisi excusso principali convenientur, quod pignora facile perire possint, ut multum intersit ipsius creditoris, habere quem unā cum reo obligatum tradit Umm. *Disp. 9. tb. 1. n. 3.* Accedit, quod etiam post *Nov. 4.* quando satisfactionis firmatio fidejussores desiderentur, ut in *Nov. 53. c. 2. & 3. §. 2. Nov. 112. c. 2.* ut proinde id per *Nov. 4.* correctum & sublatum dici non possit Ludw. *ad Wef. tit. qui satisd. cog. verb. an pignoribus.* Novella enim 4. lata est anno consulatus Belisarii IV. ut patet ex fine d. *Nov. sed Nov. 53. c. 2. & 3. §. 2.* post consulum Belisarii V. Imp. verò Justin. anno II. Propterea *Nov. 112. c. 2. in pr.* adhuc postea promulgata anno Imperii XV. ut ex fine apparet Bach. *ad Wef. n. 7.*

## THEISIS XXVII.

Sunt etiam qui inter cautionem fidejussoriam & quæ pignoribus perficitur, nullam quoad securitatem & quidem sine omni temporis & casuum

C3

distin-

distinctione, agnoscunt differentiam, sed quod cau-  
tio possit fieri vel fidejussoribus vel pignoribus affe-  
runt, hoc verum esse de cautione *conventionali*, sic  
eum, qui in contractibus fidejussores dare tenetur,  
dando pignora liberari l. 59. in fin. ff. mand. arg. l. 25.  
ff. d. R. I. idem obtainere in *Legali*, quae ipso jure civi-  
li introducta est l. 21. §. fin. ff. d. const. pec. l. 4. §. 8. junc. l.  
l. 2. ff. d. fideic. libert. In hypothesi tamen cautionem  
judicialem seu prætoriam ordinariè fieri tantùm fi-  
dejussoribus, per pignora verò, per re promissio-  
nem nudam aut juratam promissionem extra ordi-  
nem arg. l. 1. §. 9. d. collat. bon. l. ult. §. 3. ff. quod legat.  
authent. generaliter C. de Episc. & Cler. l. pen. C. d. dign.  
& hoc ideo, quod prætoriae stipulationes ut pluri-  
mum super eo, quod interest, interponantur, in-  
deque pignora non sufficient, quia quæ & qualia,  
uti ib. 26. relatum, deponenda sint, scire nequeat,  
eademque multis casibus obnoxia tædiosam custo-  
diam requirant Hahn ad Wes. tit. qui satisd. cog. n. 4.

## THESES XXVIII.

In tanta opinionum varietate, quam senten-  
tiam tutius amplecti quis possit, omnino contro-  
versum est, ob textuum & Doctorum, diversimo-  
dè sentientium autoritatem. Sane utut concedas  
facilitatem conveniendi in fidejussoribus, malè ta-  
men inde præstantiam elici opinor, conveniendi  
quippe facilitas non reddit quam primum securum,  
nendum securiorem creditorem, sicuti nec molesta  
custodia pignorum & emtorum defectus, nec non  
diligentia rebus in securitatem datis adhibenda anci-  
pitem. Neque l. 7. ff. d. præt. stip. indicare, Præto-  
rem propter excellentiam fidejussionis à pignori-  
bus

bus abhorrere existimo, neque modum cavendi  
illum ab ipso Prætore pro optimo haberi, quamvis  
pupillis ita cautum esse debeat, hoc siquidem neq;  
JCti verba, neq; mens certò indicat, quia judices,  
pignorum custodia non decet occupari prætoriam  
stipulationem datis fidejussoribus fieri, haud temere  
judicat Bach. add. l. 7. ff. de præt. stip. Quæ opinio-  
ni fidejussoriam propugnanti objiciuntur ab iis, qui  
pro pignoribus militant, resolvuntur quidem, mo-  
do supra adducto; sed vereor, ut evolutio subsistat,  
minimum si non evincant, fidejussoriam cautionem  
postponendam, hanc ei, quæ pignoribus fit pariter  
non esse anteferendam, sufficienter sustinere viden-  
tur, loquitur enim §. 14. Inst. de obt. quæ ex del. nasc.  
de debitore, & non de fidejussore, ut sit sensus, plus  
cautionis in re esse, quam in persona debitoris, cum  
tamen expressè dicatur, posse creditorem agere,  
etiamsi idoneum debitorem habeat, quia expedit  
ei, pignori potius incumbere, quam in personam  
agere, haud tamen recte infertur, cautionem pigno-  
ratitiam cedere fidejussioni, imo contrarium evin-  
citur, cum expedit, pignoribus incumbere, quam  
in personam agere, etiamsi idoneum debitorem ha-  
beat, videtur & expedire, pignori potius incumben-  
te, quam fidejussorem habere, cum commodius  
sit, idoneum habere debitorem, quam fidejusso-  
rem, qui præter beneficia principali competentia,  
specialibus adhuc exceptionibus munitus est §. ult.  
Inst. d. replic. junct. Nov. 4. & auth. præsente C. d. fidejuss.  
**Cautionis autem verbum** in l. 25. ff. d. R. 7. signifi-  
care securitatem, per ea, quæ habet Eichel. ibid. est  
manifestum, adeoque per Godotr. responsionem  
d. l. 25, enervata non est.

## THES. XXIX

## THE SIS XXIX.

Simili prorsus ratione de prærogativâ cautio-  
nis pignoratitiæ judicandum erit. Plus cautionis  
in re esse, quam in personâ traditum est sæpius *cit. l.*  
*25. ff. d. R. J.* & expedire potius, pignori incumbe-  
re, quam in personam agere *§. 14. Inst. d. oblig. que*  
*ex del. nasc.* sed hos textus ad fidejussores applicare  
& his præferre velle pignora, durum est, cum *§. 14.*  
*Inst. d. oblig. que ex del. nasc.* non formet respectum  
inter pignora & fidejussores, sed inter pignora &  
debitorem, non simpliciter talem sed idoneum, &  
licet inde quodammodo de excellentiâ cautionis pi-  
gnoratitiæ per argumentum fieri possit, hoc tamen  
sumum procederet in idoneo debitore, in aliis itaq;  
aliter quoq; discurrendum erit. Minus autem *l. 25. ff.*  
*d. R. J.* meo judicio probat, cum indistinctè de per-  
sonâ loquatur, & suppositio disjuncta universali non  
æquipolleat: Et si interpretationem sequamur  
Rævardi, de hâc lege ita sentientis: *Ei cautum vi-*  
*deri dicimus, cui si non rebus aut pignoribus, saltem de re*  
*aliquâ persequendâ, restituendâ aut præstandâ instru-*  
*mento quodam securitas est repromissa cap. 21. de rei vendit.*  
*Quo sensu plus cautionis in re esse, quam in personâ scri-*  
*pfit hâc regulâ Pomponius.* Non enim ea est Pomponii  
sententia, ut velit dicere, *iis rectius & tutius cautum, esse,*  
*qui pignoribus, quam qui sponsoribus acceptis, securi-*  
*sunt, ut putant interpretes, sed eapotius, ut bi, quibus*  
*de re ipsâ præstandâ cavitur, plus in eâ re cautionis habe-*  
*re dicantur, quam illi habent in personâ, qnibus de pretio*  
*rei exsolvendo personaliter cautum est.* Veluti si rei com-  
modata nomine actum sit, *& commodati ideo commodata-*  
*rium damari per judicem contigerit, quod res commo-*  
*data*

dat non appareat, aliter commodatariusei, qui commo-  
davit, rei commodata, quæ deperdita est nomine, satisfa-  
cturus non est, quam si commodator cautionem prestat-  
rit, non quidem de rei pretio, sed de ipsâ re commodata.  
aliquando repertâ, ipsi commodatario prestandâ. Plus  
enim cautionis in ipsâ re est, quam in personâ, b.c. quam  
in exsolutione pretii, quæ exsolutio personalis est. Non  
possimus non minus authoritatis huic legi, quoad  
hanc materiam, tribuere, præprimis cum ejus mens  
ex collatione inscriptionum hujus & legis 13. ff. comm.  
probabilis admodum existat. Difficultas exactio-  
nis ex variis causis in fidejussorib<sup>9</sup> obveniens, digni-  
tatem pignoris non auget, sed facile cum aliis pi-  
gnorum incommodis compensari poterit. Jus in  
re quidem quemcunque possessorem comitatur, ast  
perit etiam re non existente, & saepe contra possesso-  
rem æque difficile, propter potentiam & quod alte-  
rius provinciæ sit, est agere, quam contra fidejusso-  
rem, ut propter hoc præferendum fidejussoribus  
non sit. Melius quidem est rem habere, quam actio-  
nem, sed circa pignora quoque evenire possunt, quæ  
utilitatem diminuunt. Melius quoque est, posside-  
re potius, quam in personam experiri l. i. ff. d. superf.  
Sed hoc de objecto actionis instituendæ verum est,  
adeoque illud non statim pignori rectè attribuitur.  
Quod in pignore non solum rem, sed etiam perso-  
nam obligatam habeamus, si ita loqui licet, verum  
quidem est, sed inde haud infertur, creditorem in-  
de semper certiorem reddi, pari ratione, quod pi-  
gnus etiam ad aliud debitum extendatur, fidejusso-  
vincitur, non tamen in reliquis, quæ etiam in pi-  
gnoribus non reperiuntur.

D

TH. XXX.

## THESIS XXX.

Eminentiam cautionis fidejussoriæ hodiè propter beneficium ordinis cessare fidem non mereatur , quod nullibi reperiatur correctio , neque constitutum legatur , quod loco fidejussorum pignora recipi possint vel debeant , quod autem disertè non mutatur , quare stare prohibetur *l. sancimus C.d. testam.* adeoque neque hodie pignora pro fidejussoribus recipi certius est per ea , quæ *tb. 26.* sunt allata , nolle in tamen inde aliqualem prærogativam hujus vel alterius cautionis inferre , sicuti enim nemo loco fidejussorum cogitur pignora , ita nec horum loco fidejussores accipere Hering. *de fidejuss. c. 15. n. 46.* Quare verò una cautio non possit pro aliâ præstari , ratio est , quod aliud pro alio invito creditori solvi non possit , sed hanc rationem firmam non esse , arbitratur Petr. Wes. *loc. sup. cit.* cum hic non agatur de solutione , sed de cautione : Verùm cautio haec tenus pro solutione est , quatenus tantundem præstat aliis modis , quantum solutio ; ita & cautio dum præstatur , obligationem , quâ ad faciendam hanc quis obligatus erat , tollit *arg. l. 1. ff. qui satisd. cog. ubi Fransk. n. 9.*

## THESIS XXXI.

Ex dictis haec tenus facile constare poterit , utrum rectè dicatur hodiè omnem inter cautiones alias existentem prærogativam cessare , quod scilicet adstrictus ad dandos fidejussores , dando pignora liberetur *per l. 59. in fin. ff. mand. l. 4. §. 8. l. 2. ff. de fideic. libert.* neutquam enim hoc admittendum est ; quia dictis legibus tantum devinctus quis est ad idoneè cavendum , quod datis fidejussoribus vel pignoribus fieri

fieri potest, adeoque electio penes eum, qui caver,  
est, quomodo velit idonee caveret: Si vero simili-  
citer juberetur dare fidejussores, non satisfaceret  
dando pignora, & si adstringeretur dare pignora,  
fidejussores non possent obtrudi.

### THESES XXXII.

Ut itaque paucis mentem de hac difficultate  
exprimam: Agnosco omnino inter fidejussores &  
pignora diversitatem, attamen si rem recte perpen-  
damus, admodum difficile erit, alicui ex enumera-  
tis duabus cautionum speciebus simpliciter primas  
concedere; utraque quidem pertinet ad securita-  
tem, quae etiam omnium cautionum finis, neutram  
tamen, plenam efficere posse, supra allata sufficien-  
ter evincunt. Habet suos defectus fidejussoria,  
non solum juxta diversitatem fidejussorum, sed &  
quod maximè idonei facultatibus vel casu, vel culpâ  
labi & ad inopiam redigi possint. Laborant pari-  
ter suis vitiis pignora, que à latronibus auferri, incen-  
dio, furto, inundatione, incursione hostium, aut a-  
lio fato facilè perire, vel minimum deteriora reddi,  
imò & naturaliter perire queunt. Respectu itaque  
casuum occurrentium de habilitate cautionis, &  
quomodo quis tutus constitui valeat, quo attento,  
examinanti patebit, cautionem uni casui conveni-  
entem, alteri accommodari sine periculo non pos-  
se, arg. eorum, quae supra allata, & fidejussorias  
cautiones, non minus, quam ipsa pignora, inter se  
discrepare, apertum est. Quo nunc posito, suo loco  
& tempore rationes, pro prærogativa fidejussoriæ  
cautionis allatæ robur retinent, & pignoribus quo-  
que eorum certitudo autoritasque illibata  
manet. Verum.

SOLI DEO GLORIA.



**C**autio certa ferat juris quæ  
commoda, doctè  
Monstras, arte gravis judicioq;  
valens.

*Hicce Nobilism. Dn. Autoris,  
Audit. hact. in defessi, conatus,  
ut par est, effert*

**JOH. BERNHARDUS FRIESE /**  
**U.J. & Ph.D. Præf. Jen.**

**C**ulta Themis recolit. Cœptis  
audaciùs insta,  
**CHARE.** Sub ardenti hōc igne  
corona latet !

**Hæc**  
*Nobilissimo Domino Auclori Respondenti  
gratulab. scrib.*

**PRÆSES.**

**3<sup>n</sup>**

**N** dem ganz Teutschland ist zu Felde tapffer geh'tr  
**U**nd wieder alle Feind' so ritterlich besteh't /  
**S**o daß der Monden-Glantz / wie auch der Lisen-Pracht

Vergehet und verwelkt und man sie gar verlacht.  
Weckstu die Sinnen auch / machst daß sie streben mehr  
Nach Arbeit als nach Ruh' / zu nehmen für die Lehr /  
Das / was da nimmer stirbt / dieweil du uns entdeckt /  
Was vor so lange lag in dunckler Nacht versteckt.  
Drüm reizstu deinen Feind und dringest dich hinein /  
Wo Kampf und harte Schlacht sehr oftmahs pflegt zu seyn /  
Allwo die Themis selbst zu secundiren pflegt /  
Und offenes Duell mit ihren Söhnen regt.  
Ich wünsch' zu diesem Kampff die reinen Contra - Stöß' /  
Wodurch der Gegner wird gesetzt in volle Blöß'  
Erleg' ihn ritterlich gleich' unserm teutschen Heer /  
So wird zum Sieges-Lohn dir bleiben Ruhm und Ehr.

Dieses schrieb seinem sehr werthen  
Freunde und Herrn Lands-  
mann zu Ehren

J.J. Naucke, LL.St.

---

**Q**uisquis præclaram Juris contendit ad artem,,  
Algeat & sudet , multumque ferat, faciatque :  
Nam legat & volvat doctorum scripta Virorum,,  
Audiat assiduo, certando fortiter instet,,  
Donec præfixam detur contingere metam..  
Haec tenus hæc cordi tibi sunt , charissime Fautor,,  
Qui summo studio contendens Juris ad artem,

Docto-

Doctorum scriptis, queis strenuus invigilâst,  
Jungis non Martis, sed prælia doct̄a Minervæ.  
Differis atque doces plenè, *qua cautio præstet?*  
Gratulor ergo tibi, laudo conamina magna !  
Promeritam referas magnâ cum laude coronam,  
Finitis studiis, Jovâ, precor, auxiliante !

*Nobilissimo Domino Antori prolixum  
adfectum testaturus adjecti con-  
terraneus.*

C.F.BEERBALCK,S.A.

